

**Disputatio inauguralis chirurgico medica de haemorrhagia vulnerum /
[Johann Huldrich Kauff].**

Contributors

Kauff, Johann Huldrich.
Universität Basel.

Publication/Creation

[Basileae] : Typis, Joh. Henrici Deckeri, [1743]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/auw62j6q>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

H. XII. h.
R.

30970/P

b. 11. 1. 44

50471

D I S P U T A T I O
INAUGURALIS CHIRURGICO - MEDICA
DE
**HÆMORRHAGIA
VULNERUM,**
QUAM
SUB DIVINA GRATIA
EX DECRETO ET AUTHORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
CELEBERRIMA ACADEMIA BASILEENSIS
PRO
SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS ET
PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
LEGITIME OBTINENDIS
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT
JOH. HULDRICUS KAUFF,
TURGOVO- WELHAUSENSIS.

Ad Diem 23. Julii , MDCCXLIII.

Horâ, locoque consuetis.

Typis, Joh. Henrici Deckeri, Academiæ Typogr.





DISPUTATIONIS INAUGURALIS
CHIRURGICO - MEDICÆ
DE
HÆMORRHAGIA VULNERUM
C A P U T I.

QUOD si in Corpore humano ab externo quodam corpore duro & acuto vel etiam obtuso facta sit cohæsio soluta , eaque recens & cruenta partis alicujus mollis ; eam omni tempore Vulneris nomine donatam in Medicorum Scriptis legimus , ac per traditionem etiam novimus . Corpora autem externa vulnerant , dum vi quadam in Corpus humanum quiescens , motum , resistens impingunt & hinc motu , vel pressione unitatem solvunt ; vel & cum C. H. in ea similiter aut quiescentia , aut in motu existentia & resistentia impetu certo incurrit . Ex quibus nunc facile appareat , quomodo vulnus ab ulcere , fracturâ , fissurâ , contusione &c. distinguatur : in ulcere enim , quamvis sit etiam partium cohærentium antea solutio , hæc non a corpore externo statim producta est , neque cruenta ordinariò , nisi aliquando in cancris exulceratis , aut aliis simili modo mali moris ac pravæ indolis ulceribus ; Ubi tamen porrò notandum est , vulneris nomen sœpè in multis casibus retineri ad consolidationem usque , quamvis neque recens amplius , neque cruentum

sit, ita ut tum sufficiens nota distinctionis a causa sumatur, quæ in ulcere ordinariò interna vel quasi interna, in vulnere verò externa est, ac immediatè a corpore duro proficiscitur. In fractura & fissura partium cohæsio solvitur in ossibus a corpore externo. Verum in contusione, quæ est læsio a corpore duro & obtuso per motum, resistentiam, morsum, pressum multa vascula simul confringente, aperiente, (1.) sæpè idea vulneris juncta habetur, & discrimen a solo corpore duro & obtuso cuticulam & cutim auferente, vel etiam relinquente sive contusionem cruentam vel non cruentam faciente petitur. (2.) Ita ut plurimum quoque in fractura ab accumulatione vulnerorum cum contritu solidorum ac vasculorum idea vulneris & contusionis simul oritur.

§. 2. Vulneris (§. 1.) effecta multa sanè, eaque varia admodum sunt, quæ pendent a diversitate corporis vel instrumenti vulnerantis, ratione magnitudinis, figuræ, duritatis, gravitatis vel ponderis, materiæ, quæ aliquando venenata, ut tela veterum &c. vis ac modi, quibus adigitur, cum vel sine ablatione partis ex vulnere, aut etiam relicto quodam heterogeneo in vulnere. Varia quoque reddunt vulnerum effecta sexus, ætas, temperies, resistentia & positura corporis, dum fauciatur, hujus partes, regio, anni tempestas, animi pathemata &c. diversa; sicut præter Experientiam quotidianam Chirurgorum scripta abundè testantur. Ex phœnomenis vulnerum verò, cum unicum, sæpè non solum valdè periculosum, sed & lethale, pro Specimine hocce Inaugurali Med. elegerim, reliquorum explicatione supersedeo.

§. 3. In omni vulnere si sanguis ex laceratis, diffissis, vel aliò quocunque modo apertis vasis arteriosis venosisve, majore, vel minore rivulo cum impetu erumpat, hic effluxus omni tempore Hæmorrhagia Vulnerum appellata fuit, nomine a Græc. derivato sc. ἀπὸ τῷ αἷματι οὐχ

^{ερα-}

(1.) Boerhaav. Aphor. 321. (2.) Contulio cruenta alias etiam vulnus collisum dicitur.

γαγναῖαι; quæ, quamvis significatione vocabuli propria non nisi copiosum sanguinis cum impetu exitum denotat, sæpè tamen a nonnullis & pro quo vis cruoris effluvio latiori sensu sumitur. Priori modo non quælibet vulnera comitatur, siquidem haud raro vulnera incidunt, e quibus vix guttulae quædam sanguinis effusæ Hæmorrhagiæ vulneris nomen non merentur. At posteriori sensu in omni vulnere & aliis quoq[ue] a causis internis productis vasculorum sanguiferorum disruptionibus effectus semper est inseparabilis, pro magnitudine causæ tamen sicut in prioris significationis Hæmorrhagiæ varius gradu &c.

§. 4. **Vulnus** est solutio partium mollium continuorum recens & cruenta a corporibus duris &c. facta §. 1. sed hæ partes docente Anatomia constant omnis generis vasis arteriosis, venosis, lymphaticis, intra quæ sanguis & lymphæ moventur, nervis, fibris &c. ita quidem, ut nullum detur punctum vel minimum cuticulæ exceptâ, in quod ea non perveniant, & quod vel minimâ acicula lœsum non aliquid sanguinis evomat; id etiam injectiones, microscopia & experimenta abundè confirmant. Quare necesse est in omni vulnere sanguis ex disruptis, discerptis, aut quo vis alio modo apertis vasis, arteriosis venosive exeat, ac effectum ejus inseparabilem constituat §. 3. ni causa impediens statim inter vulnerationem accesserit. Causa itaque proxima est apertura vasculorum & motus sanguinis fluidi §. 4. Caulæ verò antecedentes sunt corpora & instrumenta quævis dura acut. vel obt. vi applicata §. 1. quæ, prout plura, vel pauciora, majora vel minora, arteriosa venosave vasa lacerando, inciendo, pungendo in diversis corporis nostri partibus aperiunt, diversas eorum hiatus faciunt, & sanguis in iis diversæ fluiditatis ac indolis, vario intensitatis celeritatifice gradu movetur; ita etiam variam sanguinis effusionem seu hæmorrhagiam pariunt, nemipè nunc largam & vehementem, nunc verò modicam ac mitem, adeoque modo magis, modo minus periculosam, curatu hinc etiam

plus minusve difficilem , vel & prorsus insanabilem. In arteriis namque quia sanguis majore impetu ac velocitate fluit, ex his lœsis etiam copiosiori rivulo profilit, quam ex venis simili modo apertis. Plures arteriæ & venæ vulneratæ eodem tempore majorem sanguinis copiam cæteris paribus ejiciunt, quam pauciores in iisdem circumstantiis; aliâs enim fieri potest, aut ex uno arteriæ vel venæ trunculo tantum sanguinis expellatur , quantum ex pluribus ejus ramulis eodem temporis spatio, ni a vicinis partibus, vel ipsorum vasculorum inæquali actione vel & aliunde causa impediens detur ; istud autem fieri existim , quando diameter hiatuum simul sumitorum in ramulis æqualis est diametro aperturæ factæ in eorum trunculo ; Immò etiam si hæc major sit illis unitis , majorem quoque sanguinis quantitatem cæteris paribus emittet illis pluribus. Undè porrò Experientia testatur , hæmorrhagiam notabiliorē sequi arterias & venas maiores , aut hiatus saltem maiores factos inter vulnera inficta. Nonne quotidiè observatur , in Venæsectionibus facto parvo vulnusculo parum sanguinis extrahi, multum verò lato vulnere educi ? Quam ob rem Boerhaavius (1.) inter cautelas Phlebotomiæ generales commendat semper latum vulnus secando venæ infligendum. Arteriæ & venæ integræ dissectæ ut plurimum minùs vehementem hæmorrhagiam excitant, quam dimidiati tantum divulgæ ; quippe imprimis arteriæ ob multam , quâ pollut , elasticitatem versus utrumque extremum se contrahentes atque inter vicina solida se recondentes fibimet sunt obturaculo (2.) quam ob rationem sœpè in chirurgicis , ubi per alia auxilia parum vel nihil proficitur , prorsus discinduntur. Largior quoque hæmorrhagia cæteris paribus excipit ordinariò arteriam venamve transversim aut oblique pertusas , quam secundum longitudinem incisas ; fibræ enim a centro lœsionis retrotractæ magnos statim hiatus efficiunt ,

per

(1.) Institut. §. 1231. (2) Boerhaav. Aphor. §. 159.

per quos ingenti rivo sanguis elabitur , id quod in longitudinali sectione haud semper observatur. Ex simili ferè ratione e vasis penitus dilaceratis ac discerptis minorem sanguinis copiam nonnunquam prodire animadvertisimus. Nonne hoc confirmant vulnera a globulis sclopetais facta ? e quibus sæpè periculosis parum tamen croris ab initio egredi cernitur. Causam equidem , quod me non latet , multi Chirurgorum , unicè adscribunt escharæ a g'ande ignita in vulnere factæ , quam verò ob multiplicem rationem in omni casu vulneris a globulis sclopotorum inficti pro vera ac unica causa non agnoscamus. Haud parum discriminis hæmorrhagiæ vulnerum in ipsa quoque sanguinis seu liquidi vitalis indole diversa , ac motu per vasa vario ponitur. Indoles ac natura sanguinis si fluida valdè & acrius vel & hujus motus per vasa vehementior paulò sit , in vulneribus ex læsis vasis majore impetu , copia & velocitate effluere solet , quam ubi sanguis paulò crassior , lentior , minus acrius est , ac etiam motu minus celeri & vehementi circumagit ; docet enim Experientia quotidiana , partes sanguinis acriores ac fluidiores causis moventibus ac pellentibus minus resistere , adeoque facilius cedendo in motu majorem velocitatem acquirere ; Unde necessariò etiam in vulneribus ex apertis vasis majore impetu ac celeritate cæteris paribus exsiliare , sicque largiorem hæmorrhagiam inducere debet. At nunc contrarium obtinet in sanguine minus fluido , cuius partes crassiores , lentiores ac similes causis impellantibus magis resistunt , minus cedendo hinc in motu suo minorem cæteris similibus quoque admittunt velocitatem , adeoque & mitiorem in vulneribus hæmorrhagiam adferunt. Præsente motu sanguinis valido ac impetuoso ex variis suis causis , quas hic recensere nimis longum foret , sanguis in fauciatis copiosius ac velocius vasculis apertis quovis modo exire deprehenditur. Ex quibus nunc facilè intelligitur ; quam ob rem scorbutici , cacoehimici & omnes alii , sanguine acri & valdè fluido prædicti a levioribus quamvis causis & corporibus lædentibus sæpè

fæpè nihilominus tam cruenta vulnera recipiant, tamque enormes hæmorrhagias patientur; ita ut frequenter ex minoribus & quasi minimis licet vasculis, tamen effluxum sanguinis ad summas usque debilitates, imò ipsam quoque mortem experiantur. Ex dentis arteriolâ læsa hæmorrhagiam lethalem observavit & annotavit Stalpartius van der Wiel. (1.) plura alia exempla hac de re ut taceam. Quotidie namque Venæsectiones hoc fatis manifestant, in quibus ob similes rationes sanguinem modo violenter & celeriter, magnâ copiâ, brevi tempore expelli, modo lentè ac parva quantitate & fæpè guttatum emitti videmus. Eundem sanè in eodem homine, diverso tempore ob discrepantem sui indolem quoad fluiditatem, copiam ac motum diverso emanare rivulo ex vasis apertis animadvertisimus; aliquid causæ quidem & in ipsius vulnusculi inflicti magnitudine, figura &c. hæret de quibus verò suprà jam egimus. Ex eodem fonte rationes haurimus, quare in levioribus vulneribus sæpius sanguinis fluxus sponte cesset? quare in nonnullis febribus & aliis etiam morbis, vel & in hominibus ex motu nimio sanguinem exæstuantem habentibus e vena secta, aut vulneribus factis tanta liquidi hujus copia effundatur & contra? idem quoque in scarificationibus ac cæteris sanguinem extrahendi modis dudum observatum est. A parte animi, nulla quidem est conditio, quæ immediate in hæmorrhagia vulnerum aliquam mutationem seu varietatem excitat; quippe ira, metus, pugnaciam prius motum cordis & sanguinis circulatorii, ope spirituum animalium seu laticis nervi augendo vel imminuendo, aut depravando, hæmorrhagiam vulnerum quodammodo variam reddere possunt.

§. 5. Cum itaque hæmorrhagia vulnerum multiplex ac varia sit. §. 4. erunt etiam hujus effecta multa & varia. Horum agmen dicit vasorum exinanitio diversi gradus

dus pro diversa copia sanguinis effluentis ; mox sequuntur pallor, non tantum in vicinia vasorum vulnere aperitorum , verùm & in toto corpore , cordis motus debilis, quandoque tremor , undè & pulsus debilis , mollis, sæpè etiam ob febriculam accedentem celer. Virium hinc lapsus , oculorum calinges , anxietates , animi deliquia, anæstesia , & ni sanguinis effluxus cesset, tandem frigus extremorum validum ac sudor frigidus cum morte placida, quam tamen & convulsiones frequenter præcedere solent, præcipuè ubi simul notabiles partes nerveæ ac tendineæ lœsæ fuerint. Atque hæc imprimis ordine se excipiunt in hæmorrhagia vulnerum largiori ac lethali, quando arteriæ, vel venæ majores lœsæ sunt. Ubi tamen observandum est, pallorem ac ipsa quoque animi deliquia nonnunquam in valdè timidis a metu mortis oriri, & sæpè tum etiam efficere, ut ob sanguinis appulsum imminutum, vel ad tempus aliquod fere sublatum hæmorrhagia spontè cesset, vel facilius compesci possit ; protinus etiam motu restituto ipsa quoque hæmorrhagia redintegratur. Porrò in multis casibus , quamvis hæmorrhagia suppressa ac vulnus persanatum fuerit, nihilominus pallor , debilitas aliquamdiu manent ; quandòque etiam aneurisma sive arteriæ in faccum dilatatio succedit, vel in vena varix ; immò non rarò Cachexia , Anasarca , & Hydrops superveniunt, quibus demum ægri lentè succumbunt. Sanè hæc est ratio, ob quam Boerhaavius (1.) in causas fibrarum debilitatis & laxitatis nimiæ retulit jacturam nimiam humoris boni. Vasa namque sanguinis boni nimiâ copiâ orbata non solum debilitantur in toto corpore , verùm etiam ea liquida quoad quantitatem ac qualitatem præparare , secernere nequeunt, quæ ad ingestorum alimentorum debitam mutationem ac assimilationem absolutè requiruntur ; Undè ergo neque bonus chylus, neque bonus sanguis producuntur, sed horum loco cruditates , ferositates , lentores , leucophlegmatia , hydrops cum imminuta,

B

ta,

(1.) Aphorism. §. 25.

ta , depravata , sublata nutritione superveniunt. Ipsa etiam Experientia confirmat , hæc non tantum fieri in hominibus sæpè robustissimis post vulnera majora , verùm & post alias evacuationes sanguinis & humorum nimias a causis internis productas.

§. 6. Ex hactenus dictis nunc facile est in diagnosi hæmorrhagiæ vulnerum cognoscere , & in prognosi ejus exitum atque effecta varia prævidere. Qui enim scientia anatomica partium corporis humani imbutus est , ac imprimis in angeiologia vasorum magnitudinem , situm , posituram , distributionem , connexionem &c. probè explorata habet , is ex supra commemoratis hæmorrhagiæ vulnerum phænomenis ac circumstantiis pressius paulò examinatis & consideratè perpensis statim deteget , cuius nam naturæ & præ sagii hæmorrhagia sit in quolibet ferè vulnerum casu ? Evidem in vulneribus thoracis , abdominis &c. cava penetrantibus horumque visceribus læsis frequenter sanguinis per vulnus parum erumpit , sed omnis ferè in cava hæc stillans diagnosin & prognosin primo intuitu minus evidentes reddere videtur ; quoniam verò in hiscè casibus citò ingentes debilitates cum pallore ac reliquis ante jam recensitis symptomatibus observantur , signa profectò haud obscura esse possunt hæmorrhagiæ si non lethalis , saltem summè periculofæ. In vulneribus porrò etsi , quod haud rarò accidit , ab initio sanguinis rivus copiosus explorationem vulneris ordinariam & consuetam impedit , Chirurgus vel Medicus animo debitè volvens partem vulneratam , quæ arteriæ vel venæ in ea lædi potuerint , deinde inquirens modum , vim , quibus instrumentum vulnerans magnitudinis , figuræ &c. var. applicatum fuerit , tamen omen hæmorrhagiæ ac vulneris varium facile cognoscet , vel iterum ex modo enarratis effectibus mox intelliget. Nempè ut vulnera in genere , ita etiam hæmorrhagiæ considerari possunt : Vel tanquam absolutè & inevitabiliter lethales , quales E. G. sunt hæmorrhagiæ ex vulnere arteriarum aortæ , subclaviarum ,

viarum, vertebralium, carotidum, imprimis circa originem ex curvatura seu arcu aortæ, cæliacarum, mesentericarum super. scilicet & infer. renalium, iliacarum; Venarum, Cavæ, subclaviarum, jugularium internarum, vertebralium, mesenteric. portarum, renal. iliacar. fortè & venæ azygos, aliarumque paulò majorum internarum ac viscerum, e quibus sanguis perpetim erumpens fisti tamen nequit; vel ut lethales quidem per se seu sibi relictae, arte tamen saepe sanabiles, si peritus Chirurgus in tempore promta adhibeat auxilia: tales E. G. sunt hæmorrhagiæ arteriarum brachialium, cubitalium, cruralium, tibialium, carotidum externarum &c. Venarum jugularium extern. aliarumque similium majorum. Vel denique per accidens neglectu, aut errore Medici, Chirurgi, fauciati lethales hæmorrhagiæ sunt, quæ in se spectatæ ferè semper arte tolli possunt, aut etiam sponte subsistunt. E. G. Si in cacochymicis, arteriis aut venis minoribus lœsis, antequam sanguinis effluxus cesset, acria ac stimulantia propinata eò deducant cruoris effusionem, ut externis tum haud amplius cedat, vel cedens nihil feciis lethalia illa effecta §. 5. post se trahat. Casus certè sunt infiniti, quorum hic vel iste nonnunquam aliquid exceptionis patitur; hanc verò materiam fusius exponere non constitui, cum magis sit de pertractione vulnerum in genere, quæ apud Bohnium (1.) Heisterum (2.) & tot alios juxta omnes vel præcipuas circumstantias legi potest. Veniam nunc ad hæmorrhagiæ vulnerum Curationem generalem.

(1.) De Offic. Med. dupl. Cap. de Renunc. Vulner.

(2.) Instit. Chir. Edit. Nov. Amstel.

C A P U T II.

DE

CURATIONE HÆMORRHAGIÆ
VULNERUM.

P. I.

In curatione hæmorrhagiæ vulnerum ea statim ex triplici fonte auxilia adhibenda sunt, quibus quantocius sanguinis effusio compesci potest; inter hæc simul vi-ribus vitæ prospiciendum est, & ubi hæmorrhagia definit, debilitas, si quæ supereft, cæterique effectus tollendi, futuri verò, quantum possibile est, avertendi sunt.

§. 2. Chirurgus itaque, ni hæmorrhagiam certò lethalem non attingere maluerit, vel aliquamdiu a copia ingenti sanguinis nimio impetu erumpentis præpeditus fuerit, conetur statim debita compressione per digitos, fascias, splenia convenientia varia, tanquam methodo optima & maximè naturali sanguinis effluxum arcere. (1.) Optima hanc esse in plerisque casibus fauciatorum ipsa Experientia quotidie docet, & ipsi vulnerati toties, ni animi abjectiores fuerint, sanguinis rivulum intuentes spontè eam adhibent. Ea autem non tantum simpliciter sanguinis exitum fistit, sed etiam partes & vasa separata jungendo, adunando, plurimum confert ad vulneris conglutinationem, modo tanquam nimia nullam inflammationem &c. producat. Magnitudinem, figuram, materiem fasciarum vel spleniorum, modum longitudinalem, lateralem, gradum compressionis &c. determinant circumstantiæ vulneris & hæmorrhagiæ; de quibus plura evolvi merentur apud Heisterum (2.) van Swieten (3.) & alios.

§. 3. Sæpe etiam adstringentia applic. vel infus. fibras & vasa

(1) Nonnunquam applicatur Instrumentum Gall. le Tournequet. (2) In Chirurg. Edit. rec. Amstel. (3) Comment. in Aphor. Boerhaav.

vasa ad validiorem contractionem stimulando, sive orificio
vasorum apertorum claudendo, obturando, sanguinem vero
coagulando juvant, cum vel sine magna compressione §. 2.
Horum materiem Chirurgi ex farina volatili molitorum,
pulvere gypsi, sanguine Dracon. Mastich. Lacc. Thur. Olib.
Boli Armen. Terrae Sigill. musci arborei, spongiæ Cynos-
batos, Bovistæ &c; In forma liquida, ex aqua frigidissima,
spiritu vini simpl. rectific. & aliis pluribus componere so-
lent. Hæc autem ut plurimum non nisi in minoribus va-
sis læsis conducunt, & ne in his quidem sine compressio-
ne superaddita; in majoribus enim, contractis quamvis
per hæc vasis & coagulo sanguinis facto, thrombus natus
spontè, vel impetu cruoris a tergo impulsi, vel & levi agi-
tatione partis & loci vulnerati, facile iterum cadit, sive
que hæmorrhagia renovatur, ni continua pressio simul jun-
cta id impedit. Ex quibus nunc clarè patet, quo usque
Adstringentia valeant? & quid statuendum sit de nonnul-
lis horum? quæ quandoque à Medicis & Chirurgis pro ar-
canis ac infallilibus omni in casu venduntur.

§. 4. In hæmorrhagiis supprimendis sat frequenter
Chirurgi more antiquorum utuntur Causticis ignitis, sive
Cauteriis actualibus; & corrosivis, seu Cauteriis potentialibus.
Illa tanquam vivo igne ferri, aut aliis metalli candefacti,
vel & olei ebullientis applicato crustam inducendo sangu-
nis effluxum cohibent; hæc tanquam acerrima partes ac
vasa, quibus adsperguntur, destruendo & quasi combu-
rendo escharas faciunt, sive que crux emanantem repre-
munt. Quoniam vero eschara horum applicatione facta
citò vel tardè iterum separatur, periculum imminet hæ-
morrhagiæ recurrentis; Unde de his ferè eadem valent,
quæ supra §. 3. de adstringentibus dicta sunt. Licet e-
nim in multis casibus locum habeant, ordinariò tamen
compressione indigent, & sine hac sèpè parum in se fru-
ctus habent.

§. 5. Quod si compressio §. 2. haud sufficiens videa-
tur, & manus Chirurgi possit pervenire ad fundum partis

vulneratæ , ita ut vasa majora aperta ritè detegi queant , filo tum circumstricto certissimè ac citissimè hæmorrhagia cedit . Optimum esse maximeque securum hunc modum , nemo facilè ignorat , utinam omni in casu possibilis esset , ac omni tempore , ubi locum haberet , a chirurgis statim adhiberetur ! Eheu ! quot sauciatorum post prælia commissa non conservarentur ! Eum verò amplè ac doctè exposuit Exper. Petitus (1.) ; Multa quoque de hoc Clariss. van Swieten (2.) differit ; habet quoque pleraque Excell. Heisterus (3.) alios ut taceam.

§. 6. In casibus , ubi arteriæ , neque nimis magnæ , neque cordi valdè vicinæ , tantum non integrè dissectæ fili circumductum respuunt , sanguinisque effusio compressionem suffic. eludit , Chirurgi nonnunquam coacti sunt integrè discindere arterias ; id quod vel simplici tum dissectione , vel scarificatione peragunt , ac insuper debitam compressionem adhibent . Revulsionem hic nihil juvare , nisi vascula læsa parva , & plethora adsit , cum Cel Boerhaavio (4.) statuimus .

§. 7. Quo Chirurgus nunc scit statim ab initio vulneris inflicti accuratius inquirere circumstantias vulneris §. 1. 2. & hæmorrhagiæ §. 4. eò clariùs perspiciet , quinam ex quinque modis diversis hucusque enarratis , & quasnam ob rationes in datis casibus præferendus sit , ut feliores dein successus intueri possit . Cæterum qua ratione vulnus tractandum sit , animus non est in hac Dissertatiuncula exponere ; videantur de hac re superius jam allegati Viri egregii , vel & alii ex probatorum Chirurgorum turba .

§. 8. Inter hæc extus a Chirурgo peragenda , Medicus intus saluti sauciatorum prospicere debet . Quem in finem sequentem ordinem in usu remediorum diaëteticorum & pharmaceuticorum commendabit : omnem vulnera sauciæ motum vel levissimum , & corporis agitatem , quantum possibile , vitent , ne iis sanguinis effluxus augea-

(1.) M. de L'Acad. R. des Sciens. l'An. 1731. (2.) In Comment.
Supr. cit. (3.) In Chir. ante alleg. (4.) Aphor. §. 219.

augeatur, vel foveatur; quam ob rem sèpè vulnerati in loco illo relinquendi sunt, in quo vulnus accepere, modo neque frigus, neque calor, pluviæ sub dio, aut alia necessitudo aliquando absolutè translationem ejus indicent; si fieri potest locus decubitus sit in aere temperato, in lectulo non nimis calido; pro cibo vulnera invalidus non utatur, nisi juscum farinaceis, hordeatis, avenaceis, vel & ex oriza, nonnunquam tamen etiam carneis cum tantillo succi citri recent. & intra singul. 24. horas bis nonnulla cochlearia plena gelatinæ ex Ras. C. C. Ebor. Rad. Scorzon. Acetos. cum pomo recent. Aurant. in juscule soluta propinentur. Si ultra cibi quid appetat æger, quædam concedi possunt ex mollissimis oleribus, ut Spinaciæ, Lactucæ, End.; ex radicibus v. g. Scorzoneræ, Cichorei &c. ex caulibus Asparagi, Betæ &c. ex fructibus Cinaræ, poma, pyra subacida ac similia alia, ita cocta ac præparata, ut neque calefiant neque stimulent; Lac & quædam lacticinia in nonnullis circumstantiis nihil nocent. At fugienda omnia aromata & salita nimium; hinc & potus ordinarius loco vini aut cerevisiæ sit ptisana ex Raf. Ebor. C. C. Rad. Scorzon. Fragar. Acetos. Passul. min. Hord. siccato & similibus. Somnus si deficiat, promoteatur leni quodam anodyno ex Syrup. Papav. err. vel alb. Violar. & Emulsion. Amygdal. sem. 4. frig. maj. min. ac aliis minus vehementis virtutis. Excretiones naturales alvi & urinæ si cunctentur, mitiora tantum exigunt emollientia, humectantia, laxantia, lubricantia &c. ut ol. Amygd. dulc. recent. Lini, Syrup. de Alth. Fernel. de Endivia, juscum carneum cum incoctione Malv. Mercurial. Violar. Butyrum recentiss. cum melle & panis crustulâ affundend. &c. Animi affectus præcipue vehementiores evitet æger omni studio; sicut enim corporis quies, ita etiam mentis tranquillitas hic maximè conduceat.

§. 9. Ex fonte pharmaceutico multis sanè opus non est: mitiora quædam refrigerantia, incrassantia ab initio hæmorrhagiæ vulnerum sufficere possunt. E. G. &c. Sem. Melon.

Melon. Cucurb. Endiv. Lactuc. Amygdal. dulc. sine cuticul. aa. Drachm. ij. Aqu. Plantag. Portul. aa. Unc. iv. vel vi. F. Emulf. Col. add. Syr. de Symph. Fern. vel Papav. Acetofell. vel Acetos. Citr. à Unc. semis. Unicorn. foss. Drachm. ij. Nitr. Cryst. Drachm. semis. vel Spir. Nitr. dulc. Scrupul. j. m. d. ad Vitr. ut Singul. hor. vel semihor. Uncia una & ultra capiatur. Vel sumat æger omni bihor. Drachm. unam & ultra sequent. & Syrup. Acetositat. Citr. Papav. rhead. a. Unc. iij. Mucilag. Sem. Cydon. aqu. Plantag. fact. Unc. duas M. d. ad Oll. vel ex decocto hordei & Syrup. Rib. paretur Julapium ; vel ex aqu. Endiv. & Julepo Rosaceo & similibus. Nonnunquam & sequens vel similis aliis pulvis singul. 3. vel 4. horis cum una ex modo dictis Aquis ad Scrup. ij. exhibitus prodesse potest : & Rad. Alth. Bol. Armen. Amyl. a. Drachm. ij. Sacch. Rosac. Unc. semis, Nitr. .pt. Scrup. ij. M. F. Pulv. subt. ad scat. Mixtura si ægro arrideat ; & Aqu. Scorzon. Lactuc. aa. Unc. iij. Syrup. Rib. Viol. aa. Drachm. ij-- iij. Lap. Hæmatit. Drachm. ij. Nitr. .pt. Scrup. j. M. d. ad Vitr. ut omni hora aliquot cochlearia sumat. In horum nunc atque similius usu æger pergere debet, donec circumstantiae hæmorrhagiæ & vulneris, vel etiam post hæc effecta relictæ, alia indicent, quæ quoniam vel ad vulnerum pertractionem in genere, vel ad casus singulares nimis spectant, in hac Dissertatione ampliorem expositionem non exigunt. Filum itaque abrumpo & confero me ad gratum operis

F I N E M.

